



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

237 Prorium Clementinæ de rer. permut.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

tibus, deinde quod solos postponat expectantes istos Pontificios ut homines ambitiosos & odiosos, denique præterea quod nihil de contractio collatoris facto disponat quando nimirum collator omni reiecta conditione tacita sponte sua beneficium sic resignatum nihilominus confert vel expectanti Pontificio vel cuilibet alteri quam permutanti. Quamobrem generalis hæc eademque clarissima retundissimaque; constitutio Clementina comprimis & utilis & necessaria fuit; ut amplius dubitari non possit quin aliis facta beneficiorum ex causa permutationis resignatorum collatio quam permutantibus ipsis, ipso iure foret omnino nulla. quod huius est constitutionis proprium, cum nec antea quidquam de nullitate tali vel dictum vel declaratum per Pontifices fuisset. multa enim fieri sæpè prohibentur. ut iuris habet regula, quæ tamen facta valent; ideoque si collator ordinarius reiectis post resignationem permutationibus istis, gratificari voluisset vel expectantibus vel aliis quibuslibet, & iis beneficia sic resignata de facto contulisset, quiritari quidem potuissent litemque mouere permutantes hi sic illusi, sed ante Clementinam hanc de nullitate collationis ne vel hiscere quidem fuissent ausi, cum summi iuris remedio destituerentur, æquitate sola freti; quæ propter circumstantias aliquas Episcopo vel alteri cuius ordinario collatori visas haud inidoneas facillime vel obscurari vel euanescere solet: ubi nunc post istam Clementinam vel omnino recusare debet

237
 Propriū Cle-
 mentina de
 ver. permut.

debet ordinarius collator permutationem id est ex causa permutationis resignationem (sua nimirum retinentibus beneficia his qui permutare desiderabant) vel si semel admiserit huiusmodi resignationem, non potest aliis quàm solis permutantibus hæc beneficia sic resignata hinc indè conferre. Singulas nunc excutiamus huiusce Clementinæ clausulas.

Ait Pont. *Concessione iuris utentibus.* Intelgit Pont. permutationem rectè canonicè que vel deliberatam vel conceptam vel destinatam à meditantibus eandem permutationem, sine vitio nimirum prorsus vlllo, solius autoritate superioris incundā perficiendam que. nec enim sola fraus permutantiū vel mutua vel quæ fiat aliis abesse debet vt permutantes dicatur concessione iuris vti, sed omne omnino vitium. Quo in genere quæretur haud insulsè, quid si consensus eorum qui vel patronatus habet ius vel collationis vel electionis vel institutionis vel confirmationis vel quid simile cur consentire vel dissentire possint eo quòd ipforum interfit, non fuerit requisitus in ipsa permutatione sed postea per interuallum petitus & impetratus? An permutatio confirmetur, an verò præcedere consensus debeat ita vt noua permutatione sit opus? Ac verius est, sufficere si consensus vel sequatur. DD. ad c. cum consuetudinis. de consuetud. & ad cap. unic. de rer. permutat. in 6. quò pertinebat etiam quæstio superius ad cap. cum olim. in verb.

238
Consensus eorum quorum interest an præcedere debeat, an sufficiat si sequatur.